

homines actio competit, quod illam coram Pragensibus beneficiariis vel predicto domino episcopo aut suis successoribus, qui pro tempore fuerint, vel eorum iudicibus seu officialibus prout fuerit in optione actoris mediante iusticia prosequitur, nisi forte aliquis eorum in actu delicti vel criminis caperetur, et tunc bona taliter captivati et detenti hominis, quacumque punitus seu dampnatus fuerit sententia, ad eundem episcopum Luthmuscensem, qui pro tempore fuerit et non ad beneficiarios nec ad illum, in cuius iurisdictione detinebitur, nec ad iudices villicos aut quoscumque officiales nostros seu alterius cuiuslibet satisfactione leso prius exhibita devolvantur. Quae de re districtissime prohibemus, ne aliquis beneficiariorum iudicum villicorum seu aliorum officialium nostrorum aut alterius cuiuscumque de regno nostro propter detencionem talis hominis in crimine vel delicto sive in bonis episcopalibus sive alias occupati bona eiusdem detenti vel vicinorum ipsius spoliare presumat, ceterum si criminosus huiusmodi perpetrato crimine vel delicto evaserit, nullus eum ammodo pro huiusmodi delicto detinere presumat, sed passus iniuriam coram Pragensibus beneficiariis sive dicto episcopo Luthmuscensi, qui pro tempore fuerit, vel suis officialibus iudicibus prout idem elegerit suam prosequatur causam sive iniuriam formae iuris et amplius sub quacumque sive Pragensium sive aliorum beneficiariorum villicorum iudicum seu aliorum officialium nostrorum aut alterius cuiuscumque iurisdictione, iidem homines Luthmuscenses, qui ad penam sive mulctam condemnati fuerint, pecuniam eandem penam sive mulctam tam ab hominibus eiusdem episcopatus quam testibus et compurgatoribus eorundem persolvendam ad episcopum Luthmuscensem qui pro tempore fuerit et non ad alium quempiam satisfactioni, quae debetur, actori explete decernimus et volumus pertinere. Ceterum predictorum episcopi capituli et hominum dicti episcopatus Luthmuscensis quieti providere et futuris dispendiis precavere volentes presencium serie valitura perpetuo inhibemus mandamus et firmiter precipimus sub optentu gratiae nostrae, ne aliquis baro nobilis vel miles aut alius quicumque ad expeditionem nostram vel alias quocumque procedens in eundo stando vel redeundo in bonis ipsius episcopi et episcopatus predicti se recipere vel ibi pernoctare aut morari presumat in eorundem episcopi ac episcopatus iudicium vel gravamen. Si quis autem predictorum contra mandatum nostrum et inhibitionem huiusmodi recipere in bonis se eisdem pernoctare vel morari presumpserit, si talis officialis vel beneficiarius fuerit, extunc ipso facto sit beneficio suo et officio privatus, quod si beneficium aliquod vel officium non habuerit,